

Thomās Sanchez.
Thomas Tamburinus.
Thomas Maluenda.
Thomas del Bene.
Thomas à Jesu.
Thomas Zerola.
Thomas de Urrutigoyti.
Thyrfus Gonzalez.
Tyberius Decianus.

Valerius Reginaldus.
Vincentius Fillucius.

Vincentius Ferre.
Vincentius Contenso.
Vincentius Candidus.
Vincentius Baronius.
Urbanus Octavus.

Zacharias Pasqualigus.
Zacharias Boyerius.

Rapahel de la Tors.
Rapahel Ayala.
Rapahel Guin.
Rapahel de Pien.
Raymundus Lunard.
Raymundus Capuchinus.
Robertus Bellminus.
Robertus de Pien.
Robertus de Pien.
Robertus de Pien.

BRE



BREVIS EXPOSITIO
AD QUATUOR
PETRI LOMBARDI,
PARISIENSIS EPISCOPI,
ET SENTENTIARUM MAGISTRI
LIBROS SEDULO AC LEPIDE CONCINNATA.

PRÆCIPUÆ, QUÆ CIRCA LITTERAM EXAGITARI
assuescunt, cum Neotericis Angelicæ, Subtilis, Eximiæ,
& omnis Scholæ Authoribus, super illis ex integro,
exque professo disputantibus, accessere
Quæstiones.

DE BONIS MATRIMONII.
DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-PRIMÆ SYNOPSIS.

*Qua tria conjugii bona sint, quibus illud honestum
Redditur, hocce loco doctè Magister agis.*

Sic incipit: *Post hæc de bonis.*

Sic terminat: *Etiam licuerit intrare.*

Connectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ;
aliisque antecedentibus egit Magister de causâ fi-
nali, efficienteque Matrimonii; sed in præfenti de-
terminat de ipsius Matrimonii bonis, quæ sunt cau-
sæ illius usum, & actum cohonestantes: ergo
rectè hæc distinctio consonat superiori.

2. Consequentia probatur: Prius est constituere Matrimonii essentiam, quam de illius usu, causisque ipsum honestantibus agere; sed Magister in superiori distinctione, aliisque antecedentibus de causâ efficiente, & finali Matrimonii disseruit, quæ propriam ipsius essentiam constituunt: ergo in præsentî de bonis conjugii determinare, quæ etiam sunt causâ illius usum, & actum honestantes, reverâ censetur rectum servasse ordinem.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ ostendit Magister, tria esse Matrimonii eximia bona. In secundâ verò declarat, abortum procurantes haud dubiè homicidas fore. In tertiâ autem; & ultimâ demonstrat, coitum à peccato per Matrimonii bona excusari.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ ostensione, hæc prima statuitur thesis: *Tria in Matrimonio passim reperiuntur bona, scilicet, fides, proles, & Sacramentum.* Quam expressè deducit Magister ex Augustino lib. 9. in Genes. cap. 7. dicente: *Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet, fides, proles, & Sacramentum.* Ergo Matrimonium triplici sanè perficitur bono, fide quippè, prole, & Sacramento.

5. Primò enim de primo conjugii bono probat Magister: Ideò fides Matrimonii datur, ut vir ad aliam mulierem, nec mulier ad alium virum accedat; sed quòd vir ad aliam mulierem, nec mulier ad alium virum accedat, censetur ex omni parte bonum, eò quòd juri, omnique etiam rationi penitus consonum, & oppositum valde dissonum sit: ergo fides erit unum ex tribus Matrimonii bonis, simulque causâ ipsum apprimè honestans.

6. Secundò, etiam de secundo conjugii nobili bono fat constat: Proles non aliâ ratione inter Matrimonii bona annumeratur, nisi ut amabiliter suscipiatur, & religiosè educetur; sed quòd filii amabiliter, gratequè suscipiantur, & religiosè educantur, nulli virtuti adversatur: ergo jure optimò convenit proli esse Matrimonii bonum.

7. Sed oppones: Per Matrimonium non generatur proles immunis à culpâ, sed impotius cum peccati labe; sed proles non est bonum Sacramenti in quantum proles, sed quantum à culpâ immunis: ergo non poterit aptè nuncupari bonum Sacramenti, sed malum, eò quòd in illius conceptione fœtidum culpæ exhalet proles odorem.

8. Respondetur negando Minorem & Consequentiam. Et si enim

duplici ex fine omnis intendatur proles; primò quippè, ut educetur ad cultum Dei; secundò, ut in hæreditate succedat; & tertio demum ut quis in prolis multitudine, & pulchritudine scelix ac gloriosus appareat; & sub his omnibus differentiis semper arbitretur bonum; nihilominus primo modo proles est bonum sub ratione boni; quod reverâ sufficit, ut bonum Sacramenti, & non malum dicatur, quam immunis à culpâ non concipiatur.

9. Tertio similiter de tertio conjugii excelsò bono etiam suadet Magister: Ideò Matrimonium dicitur Sacramentum, quia conjuges cohabitare, & non discedere tenentur, ut sic vinculum, & suprema unio inter humanitatem, & Verbum, quæ inseparabilis est, significetur; sed quòd conjuges cohabitare, & non discedere teneantur, ut sic aptius vinculum, & unio inter humanitatem, & Verbum, quæ omnino inseparabilis est, significetur, reverâ ingens est bonum, ut sedulo lustranti constabit: igitur Sacramentum est unum ex tribus Matrimonii bonis.

10. Sed dices primò: Nihil dicitur esse bonum suiipsius, ut vera, & recta philosophia statuit; sed Matrimonium est Sacramentum: igitur Sacramentum non est bonum Matrimonii.

11. Respondetur, quòd etsi sub eadem ratione, aut conceptu nihil valeat dici esse bonum suiipsius; tamen sub diverso enunciari non implicat. Ipsa enim unio, sive vinculum dicitur Matrimonii Sacramentum; & inseparabilitas ipsa unionis dicitur bonum Sacramenti, sive Sacramentum ipsum, quod est bonum Matrimonii: Unde sub unionis, aut vinculi conceptu, dicitur unio Matrimonii Sacramentum, & sub ratione inseparationis, unio ipsa appellatur Sacramenti bonum. Caterum inseparabilitas unionis nomen boni Sacramenti usurpat, quia Matrimonio est consubstantialis, ipsumque inseparabiliter sectatur; non sic alia Matrimonii bona, ut supra perspicuè expendimus.

12. Dices secundò: Bonum Matrimonii, & ejus finis idem sunt; sed unius rei unicus semper fuit finis: ergo si Matrimonium est unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis, unico duntaxat, ad præcipuo debet pollere fine, & bono; ac proinde Matrimonii bona non tot, quot à Magistro recensentur extant.

13. Respondetur negando Consequentiam. Quia, etsi bonum principale, inseparabileque Matrimonii sit unum, utpote vinculum sacramentale, non impedit, quominus bona alia, fides quippè, & proles, sint huic annexa uti minus principalia; quemadmodum in

cunctis ferè contemplamur rebus unum primum ac præcipuum finem, & quamplures alias utilitates, quæ ipsi adherent, quin ex hoc proferri valeat, plures esse unius rei primos ac præcipuos fines.

14. Ex tribus autem præfatis Matrimonii bonis, solum Sacramenti bonum inseparabile est ab ipso Matrimonio: Quod sic primò probat Magister: Quanvis non rarò ratione divortii secundum totum, aut Religionis causâ, si alter in hæresim incidat, corporaliter separentur conjuges; tamen Sacramentum, ejusque vinculum integrum, & incolume perseverat: igitur bonum Sacramenti inseparabile est.

15. Antecedens probatur: Tunc Matrimonii Sacramentum, ejusque vinculum integrum perseverat, dum nulli conjugum licet unquam cum alio contrahere, ne jus contrahendi habeat, & ut hæc ex parte vinculum indissolubile inter humanitatem, & Verbum, necnon Christum Dominum, & Ecclesiam penitus exprimitur; sed nulli conjugum licet unquam cum alio contrahere Matrimonium, ne jus contrahendi habeat: ergo Matrimonium, ejusque vinculum integrum omninò perseverat; ac proinde solum bonum Matrimonii inseparabile est.

16. Secundò probat Magister alia à ratione indissolubilitatis excludendo bona: Fides enim passim à conjugatis dissolvitur, dum isti cum aliis adulterantur; similiter proles sæpè multis de causis deficit; aut quia sterilitate laborant conjugati; aut quia abortum procurant; aut propter continentiam promissam; aut ob alias quamplures non ignotas causas: ergo ex tribus Matrimonii bonis solum bonum Sacramenti inseparabile est.

17. His consentaneè subjungit demùm Magister pro hujus primæ partis plenâ indagine, quòd vinculi sacramentalis animus, sive Sacramenti bonum sufficit ad Matrimonii valorem, quanvis aliorum bonorum deficiat intentio. Hoc etenim suadet primò auctoritate Augustini lib. de bono conjug. cap. 5. quam in litterâ quisque intueri poterit.

18. Secundò ratione: Etsi gratiâ procreandæ prolis, fideique omninò servandæ duo conjungerentur, si tamen animus perpetuæ consuetudinis amborum, sive conjugalis eorum deficeret affectus, reverâ non conjuges, sed fornicari dicerentur; sed illi præsertim innititur Matrimonium, quò posito, intelligitur, etsi cætera alia desint: ergo quia ad Matrimonii valorem sufficit bonum Sacramenti, estò aliorum bonorum intentio penitus deficiat,

19. Confirmatur: Dum perpetuæ consuetudinis animo, sive conjugali affectu aliqui conveniunt; etiam si fidei servandæ, prolisque procreandæ deficiat intentio, verum apparet conjugium; sed tunc bonum Sacramenti, & non alia fidei ac prolis bona experimur: igitur ad conjugium sufficit bonum Sacramenti, etsi duo alia Matrimonii bona integrè desiderentur. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficient.

20. PRO SECUNDÆ verò partis indagine, hæc secunda proponitur thesis: *Qui post animæ infusionem abortum procurant, haud dubie sunt homicidæ.* Quam legitimè deducit Magister, dum in litterâ consultò inquirat: An sint appellandi homicidæ, qui verè abortum procurant? Et respondet affirmativè, si puerperium animatum sit; secus si ita non sit.

21. Probat primò Magister ex Augustino sup. cap. 8. Exodi, & in quæst. vet. testam. cap. 23. dicente: *Informe autem puerperium, ubi non est anima viva, lex ad homicidium pertinere noluit.* Ergo dum puerperium extat formatum, animatumque, qui abortum procurant, verè homicidæ dicentur, eò quòd lex intendat ad homicidium pertinere.

22. Secundò, etiam ex Hieronymo epist. ad Algasiam, quæst. 4. probat his verbis Magister: *Semina paulatim formantur in utero, & tandiù non reputatur homicidium, donec elementa confecta suas imagines, membraque suscipiant.* Sed tunc elementa confecta suas imagines, membraque suscipiunt, dum verâ informantur rationali animâ: igitur qui post animæ infusionem abortum procurant, merito homicidæ sunt appellandi; secus qui ipsum ante fœtus animationem procurant.

23. Tertio siadet ratione: Non idèò homines homicidæ dicuntur, quia impediunt, aut retardant, ne fœtus rationali animâ animetur; sed quia occidunt hominem vivum, eò quòd homicidium nihil aliud sit, quàm vivi hominis occisio: ergo dum fœtus rationali animâ informatus non extat, etsi abortum illius procurent, non exinde homicidæ appellari debent.

24. Quarto: Si fœtus animationis retardatio posset homicidium constituere, omnes, qui se polluant extra vas, & absque nativitatis fructu semen deperdunt, verè homicidæ forent; sed hoc non: ergo quia solum propriè homicidæ censentur, qui post animæ infusionem abortum procurant; non verò, qui ante animationem ipsum peritent.

25. Quintò demùm ex ipsâ textûs litterâ roboratur assumptum: Inanimati fœtus procurantes abortum, solâ pecuniâ multantur pœnâ: ergo animati fœtus procurantes abortum, mortis supplicio plectentur, eò quòd animam pro animâ reddere necessè sit; sed ideò qui animati fœtus procurant abortum, mortis supplicio multantur, non verò inanimati fœtus procurantes, quia ibi datur hominis occisio; secùs hîc: ergo hujusmodi, & non aliter animati fœtus procurantes abortum sunt homicidæ.

26. Sed oppones primò: Qui ultimam ad rationalis animi introductionem in corpore retardant dispositionem, nedùm illius animationem impedire tentant, verùm & hominem ipsum interimunt; sed qui animati fœtus abortum procurant, ultimam ad rationalis animi introductionem in corpore removent dispositionem, ipsumque occidunt hominem: igitur inanimati fœtus procurantes abortum, etiam homicidæ propriè dicuntur.

27. Respondetur negando Majorem & Minorem. Non enim, qui ultimam compositi phisici dispositionem impediunt, propriè ac proximè illud evertunt; sed solùm impropiè, & remotè, eò quòd destitui non valeat compositum ante ipsius constructionem; sic pariter, qui fœtus animationem retardare pertentant, non censentur homicidæ, cum verum hominem non occidant; nec hic mori possit ante puerperium perfectè formatum: At quantum ad voluntatem perversam impropiè, & remotè judicandi sunt homicidæ, non ratione homicidii, sed maleficii.

28. Oppones secundò: N. SS. P. Innocentius XI. hanc damnat propositionem: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Ergo ideò prohibet ut illicitum procurare abortum etiam ante animationem fœtus, quia procurantes illum sunt homicidæ; aliter non sic inhiberet: ergo modò fœtus sit animatus, modò non, semper procurantes abortum erunt propriè homicidæ.

29. Respondetur negando Consequentiam. Quia, etsi Pontifex ut illicitum prohibeat procurare abortum ante animationem fœtus; non exinde infertur, hanc damnasse propositionem, quia sic abortum procurantes sint homicidæ; sed pluribus aliis de causis, nempe, quia impediunt, & retardant animationem fœtus, ejusque nativitatem; & quia plures illicitos concubitus sic interficere valent; necnon & alia graviora incommoda, quæ profundè meditantur ab Authoribus. Nunquam enim homicidæ propriè appellari possunt, nisi dum

verè hominem occidunt, quod in inanimatis fœtibus non valet contingere.

30. Oppones tertio: Fœtus semper extat animatus, & præsertim apud triplicem in composito phisico humano plausibiliter adstruentes animam, vegetativam quippè, sensitivam, & rationalem; quem insolitum opinandi modum fuisse propugnāvimus in Nostro Athenæo sub Scholâ Nominali, quæst. 4. art. 1. & seqq. ergo nullo tempore fœtus poterit procurari abortus, quin patretur homicidium, eò quòd aliquâ ex his animabus semper debeat informatus præire.

31. Respondetur, instantiam nihil premere, estò triplicem in composito phisico humano meditemur animam. Jurgium etenim, juxta Magistri litteram, solùm de fœtu inanimato procedit: Si ergò toto tempore extat animatus fœtus, ejus abortus haud dubiè homicidium erit; secùs si inanimatus existat. Undè ergò hæc modò deducitur illatio contra Magistri assatum? Quavis enim triplicem in homine astruamus animam, & fœtus prius vegetativâ, postea sensitivâ, & rationali demùm informetur animâ nulla sanè ex his prioribus animabus constituit hominem, quoadusque rationalis accedit; atque adeò solùm qui abortum fœtus animati rationali animâ procurant, sunt homicidæ, eò quòd hominem occidant; non verò qui abortum procurant fœtus quâlibet aliâ informati animâ. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

32. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis declaratione, hæc tertia præfigitur thesis: *Tria Matrimonii bona sic ejus ordinat usum, ut absque culpâ ullâ fieri valeat.* Hanc enim, ex quadam Magistri responsione clarè deducimus conclusionem; ubi consultò resolvit, quod si coitus fiat gratiâ obtinendâ prolis est honestus; non verò si immodicæ libidinis, aut voluptatis causâ fiat.

33. Sic primò Augustini autoritate lib. de bono conjugali cap. 6. firmat assumptum Magister: *Conjugalis concubitus generandi gratiâ non habet culpam; concupiscentia verò satianda venialem habet.* Sed dum libidinis, aut voluptatis gratiâ concubitus conjugalis operatur, tria Matrimonii bona non rectè ad ipsius ordinantur usum; secùs dum generandi gratiâ fit coitus: ergo quia tria Matrimonii bona sic rectè ejus ordinant usum, ut absque culpâ ullâ expleri valeat coitus.

34. Secundò ex Hugone 4. sent. cap. 4. etiam his verbis probat: *Conjugati concupiscentiâ devicti, ultra necessitatem procreandi filios, levem habent culpam; in his pro quibus quotidie dicimus: Dimitte nobis debita nostra.* Sed conjugati concupiscentiæ illecebris devicti, ul-